AUCTORITATE
ET SUB AUSPICIIS
AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS
DOMINI

GUILIELMI II.

ELECTORIS ET LANDGRAVII HASSIAE REL.

AD

NOVI PRORECTORIS INAUGURATIONEM

DIE IX. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVII.

SOLENNI RITU CELEBRANDAM

OBSERVANTISSIME ET HUMANISSIME

INVITAT

PRORECTOR MAGISTRATU ABITURUS

DIETERIC. GUILIELM. HENRIC. BUSCH,

MEDICINAE DOCTOR EIUSQUE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

Praemittuntur observata quaedam de febre puerperali.

MARBURGI,
TYPIS ACAD. BAYRHOFFERI. MDCCCXXVII.

Observata quaedam de febre puerperali.

Qui a cunctis nostri temporis medicis consentientibus praecipue puerperalis nominatur febris, morbus jure omnibus temporibus medicorum magnam attentionem in se convertit. Quamvis ab ultimis annis ad recentem nostram aetatem sententiis de natura hujus morbi et eo curando differrent, imo interdum verbis sibi repugnarent medici; repetita tamen hujus rei tractatio hodie lucem ei adferre posse videtur.

Morbum jam dudum esse spectatum et auctoritatis ratione aestimatum, testis est Hippocrates, qui certum quidem nomen ei haud addit, perspicuum vero eum descriptione facit, testantur multiplices observationes et libelli in

eo describendo et perspiciendo versati, huc usque promulgati et publici juris facti, testantur, inquam, attentionem, qua morbus ille a medicis est perpensus.

Cum id agam, ut diligentiam accuratae et exquisitae hujus morbi explicationi et tractationi literis tradendae nunc adhibeam, cujus operis partem alteram, quae publico jam exstat usui, altera mox sequetur *); paucis tantum verbis sententiam meam de morbi illius natura referam l. c. jam depositam. Quod attinet ad meam opinionem, febris puerperalis perturbatione efficitur functionum, quae redintegrationem foeminei corporis, inprimis genitalium, in vitam graviditatis expertem comitantur, perturbatione, quae sese manifestat agilitate vasorum vi morbi irritata et aucta, abdominis loci inflammatione vel ejus vice correptorum organorum, morbosa nervorum actionis permutatione, dum minus vel magis secretiones illi redintegrationi inservientes perturbantur, et propensa ad seri exsudationes inveniuntur inflammata organa.

Quo latius saltem distant hac notione febris purpuralis termini, siquidem ita omnes a perturbationibus functionum

*) cf. „Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde." Vol. I. Fasc. II. et III. — Vol. II. Fasc. I. et II.

puerperii profectae inflammationes, v. c. metritis, peritonitis, encephalitis, pneumonia, phlegmatia alba dolens puerperarum etc. ea colliguntur; eo arctius contra ponuntur, quia hos morbos tunc tantum febri puerperali adscribendos sinunt, si causarum conditio intercedit cum iis et perturbatione puerperii functionum.

Conferatur hanc ob rem jam supra citata accuratior mea tractatio de febre puerperali, cum hodie in narranda et describenda brevi hujus morbi epidemia, hiemis tempore A. MDCCCXXVI. ad A. MDCCCXXVII. in Academiae xenodochio obstetricio observata subsistere malim.

Praegressum gelidae et siccae tempestatis ver A. MDCCCXXVI. secuta est aestas tam gradu, quam diuturnitate caloris et siccitatis conspicua. Auctumno deinde et primae hiemi tanta fuit benignitas, ut finito fere mense Decembris violae odoratae, primulae veris cum alia verni temporis prole florentes invenirentur. Januario primum, potius vero et magis Februario, frigus accessit, et insigni vehementia, et diuturnitate non secus, ac nivis ingenti copia memorabile.

Aestate dicta tam calida in quibusdam urbis nostrae puerperis febris miliaribus conjuncta in conspectum venit, in diversis maligna et pejoris exitus. Fine aestatis et auctumno febris scarlatina grassari incepit, ac usque ad frigus

hiemis vehemens perseveravit, quo sensim evanuit. Scarlatinae epidemia prorsus eximiae quidem fuit benignitatis, ita ut aegrorum multi nullo adhibito medicamine convalescerent, sed in nonnullis singularem et malignam atrocitatem habuit, ea praecipue morbi mutatione celeri perspicuam, quae omnem medici operam supervacuam reddidit.

Quemadmodum ego jam alio loco *) dixi, teste mea experientia febris puerperalis eo inprimis tempore oritur, quo simul epidemia regnat febris scarlatinae, ac superior magnus et diuturnus calor fons diathesis febris puerperalis haberi potest. Quare non dubitavi, quin cum auctumno hiems hunc morbum largiter illatura sit; id, quod deinde, sed brevi tantum tempore, evenit.

Jam mense Novembris et Decembris MDCCCXXVI. extra obstetricium Academiae xenodochium plures conspeximus febre puerperali laborantes, in quarum nonnullis ruri peritonitis maxime explicata apparuit. Alia hujus morbi in privata praxi observata exempla mox speciem nervosae, mox gastricae complicationis prae se tulerunt. Quotiescunque febres hae puerperales acciderunt, magnopere ad recidens

*) Rust, Repertorium für die gesammte Heilkunde. B. III. p. 281.

malum inclinaverunt, exceptaque una prorsus feliciter sunt finitae.

In xenodochio obstetricio academico mense tantum Januarii et Februarii est animadversa febris puerperalis eas solum aggressa mulieres, quae hisce mensibus pepererant, e quibus tres postremum morbo afflictae, sanitate restituta, die Martii XVI. xenodochium reliquerunt.

Mensibus Januarii et Februarii XXV partus in xenodochio sunt editi; quatuor tantum e puerperis sanitatem sibi conservarunt, afflictis ceterum hoc morbo XXI foeminis, quarum viginti, cum una moriretur, sanitatem recuperarunt.

Puerperalis febris aequam penitus eo sese praestitit, quod loci inflammatio abdomen semper et peritonaeum inprimis afflixit. Caute tractata in universum mitem et benignam sese praestitit, quamvis sine aperta causa interdum insigni atrocitate praedita animadverteretur. Robustas non secus ac debiles foeminas post qualemcunque partum, facilem vel difficilem, morbus eodem modo corripuit. Quem primum observavi, morbus magnae fuit atrocitatis; leviores plures eum insecuti sunt, donec rursus summae atrocitatis alius apparet. Sub finem mensis Februarii infectio plane sese manifestavit, quo factum est, ut, statim sejunctis procul

ab omni priori puerpera et aegrota recentibus puerperis (neotocis), contagioni resisteremus.

Primis quatuor post partum diebus morbus apparuit, raro serius, primo plerumque vel secundo die. Frigus plurimum vehemens secutus est calor magnus cum cutis siccitate, siti ingenti et doloribus regionis hypogastricae, regionis praecipue iliacae unius vel alterius lateris; initio tantum capitis dolores plerumque vexarunt, fuerunt autem, quae per totum morbum iis afficerentur.

Pleraeque dolorem primum acceperunt inguinis unius, plerumque dextri, quod tensum et tumidum tactu maximos dolores sentire repertum est. Inde dolor ad umbilicum totumque denique abdomen est dispersus; in nonnullis aliis aegrotis alterum quoque inguen occupavit. Reverso morbo, dolor antea inguen alterum aggressus nunc in inguine altero sedem habuit. In peritonaeo et ejus processu semper malum collocari visum est. Fuerunt interdum, quae de aperto dolore nullas haberent querelas, eumque tacto tantum loco afflicto sentirent.

Jam morbi initio lochia sunt suppressa vel prioribus rariora facta. Lactis secretio per morbi decursum parcior evasit, vel haud venit. Quod postremo dixi, tunc tantum accidit, si morbus prima post partum die accesserat. Cutis

liberata perspiratio, assidue alias et semper suppressa, magnum perpetuo levamen vel sanationem attulit integram. Si casu illa nullum levamentum attulit, accuratior semper inquisitio, partem tantum corporis superam ea occupatam et cutis perspirationem quasi a congestionibus ortam esse, invenit.

Febris plerumque vehemens in dies acritate crevit. Pulsus fuit frequentissimus, parvus tensusque, raro profecto durus, in nonnullis tantum plenus et magnus. Primis diebus ob atrocem dolorem corpus difficile moveri potuit, ac sequentibus diebus ingens motus musculorum languor accessit. Facies primo ardens ruberrima paulo post peculiarem collapsae instar speciem retulit una cum colore lutescenti et sordido rubore genarum partis superioris; oculi languidi rubuerunt; sitis valida vexavit, lingua parum obtecta vel ruberrima. Celeriter aegrotae respirarunt, easque saepissime pressus singularis in scrobiculo cordis afflixit, magna nonnunquam ad vomitum inclinatio. Magis profunde ducto spiritu, abdominis, plerumque magnopere tensi, dolor auctus est. Morbi initio alvus penitus est obstructa, levisque diarrhoea levamen semper attulit. Urina perpetuo e fusco rubra fuit colore.

Valetudo bona plerumque rediit post exacerbationem vehementem, et quidem excretionibus criticis, rarius sensim accidit, repetitis parvis crisibus. Universi corporis sudor calidus odore peculiari animali praeditus, cujus insignis copia interdum animadverti potuit, summam constituit et certissimam excretionem criticam; diu suppressa cutis perspiratio semper morbi atrocitatem et pertinaciam morbumque adhuc augeri, indicavit. In nonnullis aegrotis lochia foetidissimum dissiparunt odorem, quam primum intraverunt, in plurimis haud redierunt; lactis secretionem crisi statim augeri, observatio interdum docuit, majori autem ex parte nisi aegrota convalescenti et appetitu reverso. Satis cito plerumque aegrotae sanitatem recuperarunt, nonnunquam tantum aegre et tarde.

Conscientiae semper compotes fuerunt aegrotae, imo in morbi fastigio, ac deliria in nonnullis observata blanda semper, nec unquam furiosa. A duplici causa deliria in hac epidemia orta sunt; mox enim in mediocris vehementiae morbo ab irritabili constitutione originem duxerunt, mox in constitutione bona morbi vehementia insigni sunt procreata. Cuidam puerperae, quae exsudatione in abdomen et ejus lethali eventu periit, ad extremum fere vitae halitum conscientia non defuit. Cetera nervosa

symptomata, subsultus tendinum, floccilegium etc. in hac epidemia observari non potuerunt, in nonnullis vero aegrotis stupor incipiens in conspectum venit.

Diversus fuit morbi decursus. In plerisque vehementer intravit morbus, ad fastigium deinde adhuc sensim auctus; in aliis post vehementem impetum protinus conspicua remissio est animadversa, in aliis adhuc morbus initio repens accessit, donec horrendum in modum attingeret fastigium. Decursus, quos primo et tertio memoravi, insignis fuerunt atrocitatis et periculi magni, quos secundo, minimi periculi et atrocitatis exiguae. Utrumque morbi extremum, magna rerum externarum negligentia et ingens perturbatio, semper speciem valde exquisiti et explicati morbi prae se tulerunt.

Valetudo aegrotarum interdum magnopere fuit mutabilis; post vehementem exacerbationem magna remissio, quae interdum cum exigua exacerbatione vespertina ad unum diem et plures dies duravit, quo facto nulla aperta causa exacerbatio denuo accidit ingens.

Vespera vel noctu semper observatae sunt exacerbationes, quae ad lucem diei sequentis perdurarunt. In duabus aegrotis ante meridiem adhuc exacerbationes animadverti potuerunt.

Quod si infaustus morbi exitus imminuit, plerumque summus liberi motus languor in conspectum venit; — aegrotae quippe quasi stupidae cubarunt, manusque aegrotae cujusdam a medico ad pulsum explorandum sublata cadaveris instar manus postea decidit. Verbis aut summam erga sanationem negligentiam aegrotae sunt professae, aut desiderium mortis, quod praecipue in iis observari potuit, quas supra memoratus pressus in scrobiculo cordis situs valde vexavit; attamen in magna et eximia perturbatione mortis timor et flagrans vitae servandae desiderium excelluit. In utroque casu querelas aegrotae habuerunt de respirationis difficultate et inopia, ut fenestrae aperirentur, in dyspnoea precatae.

Quod si morbus pluribus diebus post partum accidit, et quidem puerperalibus secretionibus jam praesentibus, levior et minoris vehementiae fuit, quam si statim post partum, vel die saltem secunda, evenisset.

Miliaria et petechiae nunquam animadverti potuerunt.

Affectio nervorum systematis in quibusdam magnopere conspicua manifeste a systemate gangliorum magis, quam a cerebro, repeti potuit.

Quod denique attinet ad medicam curationem, in hac epidemia aeque, ac in ceteris ex anno MDCCCXXII. a me

tractatis puerperali febre afflictis, mea simplex usitata curatio efficacissimam sese praestitit. Tantum abest, ut rapide incedat haec curatio sine apta indicatione, ut ab ignava quoque exspectatione et pigritia medica abhorreat, in corrigendis tantum functionum puerperalium perturbationibus versata.

Venae sectiones et hirudines raro tantum in usum vocatae sunt, ac sanatus difficillimus quisque morbus nullis indiguit sanguinis detractionibus vel saltem iis adminiculis. Quae meae superiori experientiae eo respondeat, quod sanguis multum et repetita vice detractus crises, ut ita dicam, materiales, sudore, lactis secretione etc. perficiendas facile impedire, in manifesta solum plethora venae sectio major utilitatem afferre potest.

Talem quoque rationem habui salium neutralium, seu mediorum. Penitus ea vitanda censui, teste mea priori experientia, quia in inflammationibus abdominis loco adscriptis salia media stimulo peculiari inflammationem potius augent, quam adversus eam agunt.

Magnae fuerunt efficacitatis emulsiones oleo paratae, tartaro stibiato et alio sedanti et sopienti remedio, plerumque extracto hyosciami, conjunctae; parva quoque tartari stibiati dosis immixta decocto-infuso radicis Althaeae et

radicis Ipecacuanhae insignem utilitatem attulit. Eam ob rem haec mixtio praecipue est data, quod emulsiones oleo paratae, uti fieri solet, fastidium nonnunquam excitarunt, ac si diutius cutis perspiratio est suppressa. Emetica nunquam sunt propinata, quamvis interdum quidem vomitus semel observaretur, si Ipecacuanha cum tartaro stibiato conjunctâ adhibita est.

Sopiens saepissime hyoscyami extractum adhibitum est et probatum profecto, interdum etiam extractum Belladonnae; rarius aquam amygdalarum amararum concentratam praebui opiumque in assiduis tantum et magnis diarrhoeis. Aquae amygdalarum amararum concentratae, adversus multos alios morbos egregii et praecellentis remedii sopientis, in puerperarum morbis usum longiorem jure timeo ob peculiarem ejus in sanguinem effectum. Opium morbi initio non facile adhibendum censeo, sub ejus finem potius. Belladonnam ob singularem hujus remedii in systema gangliorum efficientiam nonnunquam in usum vocavi; cum vero hac occasione aeque, ac in aliis, aequalis dosis ejusdem effectus diversus mihi videtur, certum effectu extractum hyoscyami ei praetuli.

Hydrargyrum muriaticum mite in omnibus fere aegrotis cum utilitate adhibui, prima vero nunquam die, sed

secunda, vel tertia, emulsione oleo parata etc. antea data. A grani quarta parte ad integrum granum, nunquam fortiori dosi propinatum est, dosi ad summum binis horis repetita. Conjunctum extracto hyoscyami plerumque exhibui, interdum etiam Ipecacuanham ac pro rerum conditione tartarum stibiatum addidi. Raro, eo adhibito, ingentes diarrhoeae secutae sunt, et semel tantum ptyalismus accidit.

In tensum et dolens abdomen cum utilitate oleum hyoscyami conjunctum unguento hydrargyri cinereo illitum est; quae irritant, unguenta in abdomen applicanda, v. c. linimento ammoniato, tinctura cantharidum et aliis commendatis remediis parata, strenue a curatione sejunxi, non secus ac frigidas calidasve fomentationes in abdomen adhibendas, quarum vanitatem, ne dicam detrimentum, prius manifeste didiceram. In pertinacem abdominis tumorem, qui magnos excitavit dolores, viginti hirudines medicinales sunt appositae, et pro rerum conditione denuo etiam repetitae. In casu quodam exsudationis magnum adhuc abdomini applicatum est vesicatorium sine utilitate. Quae jam initio injicerentur in vaginam et uterum, decoctis herbis Malvae et Cicutae virosae constiterunt, ac per integrum morbi decursum sunt continuata. Haec (dicam) localis tractatio centri systematis genitalium in redintegratione turbati semper, ita

hic quoque, magnam mihi in profliganda affectione morbosa comparavit utilitatem; sed tantum abfuit, ut una injectio quidquam proficeret, ut binis horis in morbi atrocitate injectionis repeterentur. Ita tantum aliquid ab ea sperari potest; in leviori morbo bis vel ter quotidie sunt adhibitae.

Exsudationis, quam memoravi, causa oleum terebinthinae exhibitum mortem avertere non potuit.

Clysmata morbi tantum initio plerumque sunt in usum vocata, raro serius adhuc necessaria. Lac infantibus deinceps sedulo praebendum semper curavimus, imo si lac omne jam cessare visum est.

Nonnullas morbi historias gravissime afflictarum vel leviter tantum morbo correptarum adhuc adferam.

I. Barbara Rohde, e pago O. U. oriunda, annos xxxi. nata, multipara, staturae corporis robustae, temperamenti phlegmatici, massae corporis laxae et quasi tumidae, paucis levibus aegritudinibus exceptis semper sana, post graviditatis regulam sequens tempus die xii. Januarii mane parturivit. Hora post meridiem h. d. tertia velamenta sunt rupta et effluxit liquoris amnii magna copia. Dolores interea spastici evaserunt, capite quasi immobili in apertura

pelvis supera sito. Cutis sicca fuit et calida. Doses nonnullae opii tincturae indolem dolorum spasticam ita mutarunt, ut nona vesperae hora partus infantem robustum, pondere libras octo et dimidiam aequantem, ederet. Secundinae paulo post solutae sunt. Noctu puerpera et postridie (die XIII. Jan.) omnino bene sese habuit.

Die XIV. Januarii bis intervallo horae puerpera vehementi frigore est afflicta; calore dein magno insecuto abdomen valde intumuit tensum, doloresque tactum sensit, praesertim lateris dextri circa ligamentum uteri latum; cutis sicca fuit, pulsus frequens, plenus et spasticus; appetitus aegrotam defecit vehementer sitientem; alvus est adstricta, urina fuit ruberrima. Lactis secretione prorsus aegrota adhuc caruit; lochiis jam ab initio parum fluentibus. Ternis horis ut in uterum injiceretur decoctum herbae malvae cum decocto herbae cicutae virosae, praeceptum est; clysmate quoque applicato mammisque infanti ad sugendum saepius porrectis, aegrotae sequens medicamentum praebui:

Rec. Sem. papav. alb. ℥β
F. aq. comm. l. a.
Emuls. ℥VI
cui adde
Ol. amygd. dulc. ℥I

Pulv. g. mimos. ℥ii
Tart. stibiat. gr. i
Extr. hyoscyam. gr. viii
MDS. Omni hora cochlear sumendum.

Die xv. Januarii. Post noctem quietis prorsus et summopere expertem magna morbi remissio sudoribus per totum corpus dispersis et meliori partis affectae et totius corporis habitu animadverti potuit. Alvus bis ab aliquantulum liquidis liberata est faecibus, lactis secretione fere perfecta, lochiis vero adhuc paene impeditis. Pulsus paululum frequens fuit et quasi mollis, sitis minor, ac doloris sensus tensi abdominis acritate valde cessit. Iterata emulsione ac abdomine mixtione olei hyoscyami et unguenti hydrargyri cinerei illito, aegrota interdiu quasi bene sese habuit.

Die xvi. Januarii. Elapsa nocte frigore ingenti omnis morbus rediit. Abdomen iterum tumidissimum ac tensum observatum est, maximo dolore in sinistro autem nunc inguine sito, quod durum tumorem tactui praebuit, aegrota laboravit. Febris vehementissimae sitis extingui non potuit, alvi solutiones et lochia plane defuerunt, lactis secretio minor fuit, ac hesterno die, aegrota maxime perturbata querelas de vehementi oppressione in praecordiis et anxie-

tate habuit; cutis sicca arsit. Viginti hirudinibus medicinalibus in abdomen impositis, aegrota haec medicamina accepit:

Rec. Rad. Althaeae ℥β
Coq. aq. font. s. q.
Sub finem coct. adde
Rad. Ipecacuanh. gr. vi
Colat. refrig. ℥vi
adde
Tartari stibiati gr. i
Extr. hyoscyami gr. viii
Syrup. emulsiv. ℥β
MDS. Binis horis cochlear sumendum.

Rec. Hydrargyr. muriatic. mit.
Pulv. rad. Ipecacuanh.
Extract. hyoscyami aa. gr. vi
Tart. stibiat. gr. iβ
Sacch. alb. ʒii
Mf. pulv. Divid. in xii p. aeq. S. Horarum priorum intervallo pulvis aquae admixtus sumatur.

Injectiones continuatae sunt, clysmate quoque applicato.

Vesperam versus magna febris exacerbatio intravit, quo facto sudorum per totum corpus dispersorum copia remissio insignis conspecta est, ac matutinum circa tempus placido et restaurandi somno aegrota requievit.

Die XVII. Januarii. Aegrota omnino meliorem sese habet, quam heri, abdomen quoque quamquam dolens tantopere tamen non tenditur. Remedia dicta continuantur, inprimis injectiones strenue adhibentur. Sub vesperam exacerbatio minor ea hesternae diei intravit, quam sudores totius corporis cum matutino somno insecuti sunt.

Die XVIII. Januarii. Mane bis alvus a faecibus liquidis liberata est; aegrota meliorem sese habere putat; abdomen est molle, haud tumidum et gravius modo tactum aliquem doloris sensum percipit; cutis est moderate calida et humida, lactis aliquantulum secernitur, lochia plane adhuc desunt, pulsus est fere regularis, sitisque desiit. Remedia huc usque propinata majoribus intervallis continuantur

Die XIX. Januarii aegrota ita bene sese habuit, ut supervacanea videretur remediorum continuatio. Lactis copia secreta est, ac e vagina humor modice effluxit, non multum vero foetidus. Appetitus rediit, ac proximis diebus puerpera in dies meliori gavisa est valetudine.

Die XXII. Januarii. Postquam aegrota hesterna vespera refrigerationi sese exposuerat, levi horripilatione, ingenti dein febris calore est correpta cum cutis, quae aspera animadversa est, siccitate; pulsus interea fuit parvus, tensus, frequentissimus et interdum haud aequus; capitis quoque doloribus cum ejus quasi stupore deliriisque noctu crebris aegra est afflicta; abdomen valde tensum dolores sensit, praesertim lateris dextri; lactis secretio minor fuit, quam antea. Emulsio oleosa cum camphora granis octo et totidem extracti hyoscyami propinata est, ut vicissim cum pulveribus hydrargyri muriatici mitis, radicis Ipecacuanhae tartarique stibiati sumeretur. Vesperi calor adhuc major fuit, cutis vero mollior ad sudorem magis inclinavit, pulsu haud numerando et quasi duro. Emulsio camphora conjuncta rarius est exhibita, hydrargyri muriatici mitis contra dosis saepius repetita.

Die XXIII. Januarii. Praeterlapsis priori nocte exacerbatione vehementi et deliriis magnis, versus lucem remissio conspicua phaenomenorum omnium cum somno plurium horarum intravit. Mane tamen adhuc restitit aliqua febris, ptyalismi quoque vestigiis observatis. Aegrotae tanta fuit debilitas et lassitudo, ut sublata ejus et deinde

dimissa manus cadaveris manus instar decideret. Remedia in usum huc usque vocata adhuc sunt continuata.

Die XXIV. Januarii. Elapsa aliquantulum quieta nocte mane aegrota satis bene sese habuit, vespera vero multo deteriorem. Cutis siccissima et calida fuit, pulsus parvus et durus, resque omnes aegrota neglexit. Dentes vacillarunt, gingiva et genae intumuerunt, lingua sicca muco e flavo fusco obducta est, sitis magna aegrotam vexavit. Ptyalismus multum humoris (salivae) abstulit; aegrota huc usque in universum grana XV. hydrargyri muriatici mitis acceperat. Hydrargyro igitur separato, sequentes pulveres exhibiti sunt:

Rec. Camphorae rasae gr. III
Pulv. rad. Ipecacuanh. gr. VI
Extr. hyoscyami gr. IX.
Sacch. alb. ʒ. II.
Mf. pulv. Divid. in XII. part. aeq. D. S. Omni hora pulvis aqua admixta sumendus.

Sinapismi simul suris sunt impositi.

Media nocte elapsa sudorem totius corporis somnus dein insecutus est.

Die xxv. Januarii valetudo melior conspici potuit; tumore enim genarum imminuto, ptyalismus tamen magnus perduravit; mucum quoque sat copiose fluentem vagina reddidit. Alvus soluta est, urinaque fluit turbidissima, et sedimentum posuit haud exiguum; in pulsu frequentia adhuc aliqua animadverti potuit; cutis fuit omnino humida. Languor musculorum motus adhuc ingens in conspectum venit. Prius dicta remedia sunt continuata.

Die xxvi. Januarii optime puerpera, excepta magna debilitate, sese habuit. Adversus ptyalismum decoctum herbae Salviae ad oris collutionem propinatum est, praeterea decoctum Althaeae conjunctum infuso Valerianae.

Aegrota in dies meliorem se habuit, ac die decima Februarii cum infante est dimissa.

II. Hanna Simon H . . . . . sis, Judaea, parvae staturae constitutionisque debilis, annos nata xix, primum parens, quae juventute rhachitide laboraverat, ita vero, ut conspicua in pelvim efficientia haud relinqueretur, ac magnopere debilis ad spasmos inclinavit, die xxix. Januarii parturivit. Dolores ab initio debiles et nullius efficacitatis spasmi quoddam continuerunt, cutis siccitate et perturbatione magna simul animadversa. Matutino diei xxx. Januarii

tempore, cum praeter efficientiae defectum partus dolores maximum excitarent dolorem paene intolerabilem, liquorem cornu cervi succinatum tinctura opii crocata conjunctum propinavimus, quo factum est, ut sensim efficacitas dolorum cum cutis perspiratione augeretur, ac sexta vesperae hora partu viva infans, quae pondere libras sex aequavit, ederetur.

Vix perfecto partu, pulsum irritatum et quodammodo celerem invenimus, cutisque perspirationem auctam, tussim quoque summopere vexantem et siccam, quae abdomen valde conquassavit, et somno aegrotam penitus privavit; sitis etiam aliquantulum aucta est. Decoctum radicis Althaeae conjunctum vino stibiato et aqua amygdalarum amararum concentrata propinatum die xxxi. Januarii aliqua ex parte fuit levamento.

Die i. Februarii frigus invasit, quod cum magno sicco febris calore, siti ingenti et gravi abdominis dolore, praesertim dextri lateris, tensio totius abdominis insecuta est. Pulsus fuit parvus, spasticus et frequens; lochia penitus fere desierunt, lactis nihil secretum est. Alvus nondum sese solvit, tussis aucta ob concussionem abdominis valde vexavit. Praeter althaeae decoctum pulveres quoque ipecacuanha, sulphure stibiato aurantiaco ac extracto hyoscyami paratos propinavimus; oleo etiam hyoscyami cum

unguento hydrargyri cinereo abdomen illitum est, injectionesque in vaginam sunt factae.

Die II. Februarii. Elapsa nocte valde perturbata et somno destituta aegrota pessime se habuit. Abdominis dolorem vehementia auctum aegrota ex intimo sentiit, in tanta ejus perturbatione fere intolerabilem. Cutis adhuc sicca fuit, lactis et lochiorum secretionibus impeditis et turbatis. Loco decocti althaeae emulsionem oleo paratam tartaro stibiato et aqua concentrata amygdalarum amararum conjunctam exhibuimus, ceteris remediis probe continuatis.

Die III. Februarii continuum phaenomenorum et symptomatum incrementum; tussis spastica sicca magnum attingit fastigium, pectoris oppressio est ingens, ac motus musculorum debilitas adhuc augetur. Cum nondum huc usque alvus solveretur, clysmate applicato faeces aridissimae sunt excretae. Emulsio oleo parata saepius est data, pulveres rarius exhibuimus. Vesperi magna intravit exacerbatio, quae vero jam octava hora in universi corporis sudores abiit. Inter sudorem bis alvus faecibus est soluta, sudore haud turbato. Magna venit remissio, et somnus accessit tussi tantum interceptus.

Die IV. Februarii febris aegrotam fere reliquit; lochia foetida, sed parca fluxerunt, lactis secretio iterum aucta

est, abdominisque affectiones omnino paene evanuerunt; tussis quidem perseveravit, sputa tamen sunt observata.

Diebus sequentibus aegrota quotidie meliorem sese habuit, et die XII. Februarii xenodochium cum infante reliquit.

III. Maria Guenther M . . . . sis, primum pariens, annos nata XXIII., statura magna et fibris quasi laxis, constitutione bona ceterum praedita, sub vesperam parturivit diei XXX. Januarii. Partus decursus regulam est secutus, ita tamen celer, ut hora fere undecima infans foeminina, quae pondere octo aequavit libras, ederetur, secundinis quoque rite et recte solutis. Quae incepit, lochiorum secretio haud turbata est, puerpera ad primum Februarii diem bene valuit, dum interea quoque lactis secretio quodammodo perfici est visa.

Nocte primi ad secundum diem Februarii magnum aegrotam afflixit frigus, quod calorem dein vehementem siccum excepit cum eximia perturbatione, in qua interdum deliria sunt animadversa. Querelas aegrota simul habuit de dolore vehementi inguinis sinistri. Exploratio nullam universam inflationem et tensionem abdominis, sed modicam inflationem tumoremque tensum et maxime dolentem regioni inguinali adscriptum invenit. Lingua fuit nitide

rubra, sitis vehementissima, lactis secretio exigua, lochiis quoque suppressis. Exploratio interna tumorem expansum tactu doloris quidquam sentientem per vaginae laquear in latere pelvis sinistro observavit.

Ad internum usum prius dictam emulsionem oleo paratam tartaro stibiato et extracto hyoscyami conjunctam propinavimus; abdomen saepius oleo hyoscyami unguento hydrargyri cinereo admixto est illitum, et singulis horis in vaginae injectiones sunt factae.

Die III. Februarii. Praeterlapsa nocte saepius partes corporis superae sudarunt; tantum vero abfuit, ut ullum levamentum adſerretur, ut morbi constitutio eadem perduraret. Alvi obstructio clysmati ipsi non cessit; tumor abdominis oblique nunc ad umbilicum adscendit, et pertinuit. Remediis, quae memoravi, continuatis, ternis quoque horis pulverem grano uno hydrargyri muriatici mitis et totidem extracti hyoscyami paratum exhibuimus.

Die IV. Februarii. Elapsa nocte aegrota, quietis beneficio refecta sub primam lucem valde sudavit, quo factum est, ut ter alvo liquido levaretur, et multum liquoris ederetur. Omnium phaenomenorum et symptomatum conspicua remissio nunc venit, ita ut magno tantum tactu doloris in abdomine quidquam sentiretur. Lochia parcissimo

modo redierunt, lac vero largiter est secretum. Die XI. Februarii puerpera cum infante xenodochium obstetricium reliquit.

IV. Elisabetha Becker, R . . . . sis, annos nata XXII, rustica mulier robustae staturae, capillorum flavorum et motus musculorum validi, die XVII. Februarii parturivit. Partus tarde processit, ac nocte ante diem XVIII. Februarii modici tantum orti sunt dolores ad edendum partum. Mane hac die ob praepotentem sanguinem venae sectio unciarum octo in bracchio est instituta, quo facto doloribus auctis hora post meridiem quarta infantem vivum in lucem dedit partus.

Die XIX. Februarii puerperae adhuc omnino bene fuit, donec repente hora quinta vespertina frigus ingens cum magna anxietate et perturbatione accederet. Calor deinde insecutus parum quidem sudoris effecit in parte corporis supera, sed sine levamine. Quoquoversus tensum abdomen dolores sensit, lochia haud fluxerunt, lactis secretio animadverti non potuit. Pulsus fuit plenus, durus et moderate frequens, lingua rubra et sicca. In bracchio venae sectione unciarum decem instituta, emulsionem oleo paratam cum tartaro stibiato propinavimus, injectione quoque in vaginam saepius facta.

Die xx. Februarii. Loci adfectiones multum cessarunt, abdomen minus tensum, si tactum est, dolores tantum sensit, cutis perspiravit, turgentibus quoque mammis lactisque paululum reddentibus. Pulsus tamen nondum quietus et sitis aliqua adhuc aderat. Cum alvus nondum solveretur, clysma datum est et emulsio continuata, injectionesque in vaginam ob lochiorum defectum sunt factae.

Die xxi. Februarii conditio puerperae fere eadem fuit, febris vero omnino cessavit, et die xxii. Februarii puerpera optime sese habuit.

Die xxiii. Februarii vesperi frigus ingens aegrotam afflixit, cujus nulla aperte sese manifestavit causa. Abdomen hac adhuc vespera magnopere extensum est et doloribus occupatum, maxima anxietate et perturbatione exorta sitique vehementissima calorem nunc secutum comitata. Emulsio oleo parata etc. antea dicta iterum est propinata, ac vicissim cum ea binis horis granum hydrargyri muriatici mitis datum.

Die xxiv. Februarii. Elapsa nocte quiete recreata est, exigua tantum febris remissio in conspectum venit, abdominis vero affectionibus multum auctis. Summa fuit aegrotae anxietas. Jam usitata remedia continuavimus, praeterea quoque xv hirudines medicinales in tensum ab-

domen imposuimus. Febris exacerbatio vespertina aliquid sudoris secum tulit et ita sese ostendit, ut minor ea hesternae diei haberetur. Cum autem hac vespera alia in eodem cubiculo febre puerperali moriretur puerpera (Vid. observ. v.), tantopere aegra animo est commota, quamvis ante mortem illius puerperae in aliud cubiculum deportata esset, ut nocte quam maxime perturbaretur, deliriis quoque agitaretur. Mane die xxv. Februarii abdominis adfectiones haud mutatas esse, exploratio docuit. Cutis aspera fuit et arsit, urina rutili coloris parum profecto fluxit; lac omne cessavit, sitisque extingui fere non potuit. Vultus aegrotae antea robustae et florentis collapsus summae tristitiae speciem prae se tulit, cum aegrota ipsa mortem quoque exspectaret. Tartari stibiati dosin in emulsione oleo parata auximus, minuta dosi hydrargyri muriatici mitis et addita pulveribus ipecacuanha. Maxime tensum abdomen unguento hydrargyri cinereo illitum est, surisque sinapismi sunt applicati. Praeterea, injectiones in vaginam ut continuarentur, clysma ob alvi obstructionem adhiberetur, itemque potus tepidus largiter porrigeretur, praecepimus.

Die xxvi. Februarii melior valetudo omnino animadverti potuit. Exacerbatio hesternae vesperae vehemens sudorem dein effecit copiosum, ac alvus aliquoties a faecibus

liquidis est liberata. Somnus versus lucem demum venit, quietus sane et arctus. Abdominis affectio multo meliorem sese habuit, quamvis abdomen tactum dolores adhuc aliquos sentiret. Sitis modica fuit et humida cutis totius corporis. Hesternae diei medicamenta continuavimus. Vespere exigua adhuc venit exacerbatio cum sudore magno, tum nox quietem attulit. Humoris foetidi flavescentis vagina paululum depromsit.

Die XXVII. Februarii. Lactis secretio incepit, atque appetitus quodammodo rediit, sublato prorsus abdominis dolore. Valetudo nihilominus bona ita tarde rediit, ut die demum XVI. Martii e xenodochio abire posset. Animi inprimis fuit aegritudo, maxima ad tristitiam propensio, cui protinus aegrota indulsit, qua valetudinis bonae restitutio valde est impedita, et quae, cum aegrota xenodochium relinqueret, non plane aufugerat. Est autem haec res peculiari mulieris conditioni — gravidae haud nuptae — non adscribenda, quemadmodum multi credere potuerint, cum in hac potissimum muliere ista ratio exigui esset momenti; sed hunc eundem casum in convalescentibus ex febre puerperali mulieribus felicissimo matrimonio junctis observavi; in aliis haec immanis tristitia, quae mihi a turbato

nervorum concentu orta esse videtur, primum morbi incursum antecessit.

V. Joannetta Remmelt, L . . . . sis, annos nata XXV, staturae minoris, habitus foeminei probe explicati, maxime autem irritabilis et malo hysterico saepe obnoxia, anno aetatis decimo septimo primum gravida fuerat, ac tarde quidem, sed sine artis auxilio, infantem pepererat vivum, cui ipsa lac praebuerat; anno aetatis XXII. iterum gravida elapsis graviditatis tribus mensibus abortum fecit. Tertium nunc gravida a graviditatis initio aegritudine varia laboravit, cum e proximis annis, praecipue autem manifestata graviditate, noverca ei multum molestiae adferret.

Die XVII. Februarii hora XI. ante meridiem partus appropinquavit, parturiens vero e duobus jam diebus febre ac levi capitis dolore afflicta erat. Jam XII. hora liquor amnii furtim excessit, quamvis os uteri non magis patefieret, ac partus nunc tarde procederet. Pluries vomitio biliosa accidit, adversus quam castorei tincturam russici cum tinctura opii crocata cum utilitate adhibuimus. Diei XVIII. Februarii hora post meridiem tertia partus evenit infantis foemininae ponderis librarum sex et dimidiae.

Secundinae non solutae sunt, quamvis aliquoties haemorrhoeae leves et alia solutionis signa animadverti possent. Ad horam igitur vesperae sextam exspectavimus, qua, placentae parte in vaginam illapsa, leni repetita arte facta tractione funiculi umbilicalis demum fieri potuit, ut secundinae amoverentur. In istis magis accurate inquisitis invenimus, nonnullas partes exiguas ab ea esse sejunctas, atque in loco, cui adhaeserant, restitisse.

Puerperae partus ratione optime fuit, sed febris antecedentium dierum cum cephalaea adhuc perduravit.

Die XIX. Februarii. Frigus non accessit, et nox aliquantulum quietis fuit expers, puerpera tamen aliquoties dormivit. Questa est ea de dolore abdominis, partus instar dolorum, de ardore in abdomine non inflato sed tenso, ac de siti magna et cephalaea. Lochia parum fluxerunt, lac nondum est secretum, sicca cutis, facies paulisper rubra, lingua muco flavo obducta, pulsus modice frequens, parvus, tensus. Injectiones in vaginam sunt factae, ac id datum est medicamentum:

Rec. Sem. papav. alb. ℥β
f.
Aq. ceras. nigr.
l. a. emulsio ℥VI

qua solve

Extr. hyoscyam. gr. VI

Adde

Vin. stibiat. ʒIß

Syrup. Amygd. ℥ß

MDS. Binis horis uno cochleari sumatur.

Die xx. Februarii. Noctu paululum dormivit aegrota, dolores abdominis quasi minuuntur, lochia magis fluunt, animadvertitur lactis secretio. Febris modice adhuc perdurat. Infanti saepius mammae sunt porrectae, injectiones cum hesternae diei medicamentis continuatae.

Die xxi. Februarii. Elapsa nocte sine praecedente frigore maximus febris calor invasit, quem perturbatio summa cum deliriis levibus est comitata. Abdomen usque ad scrobiculum cordis inflatum et tensum circa umbilicum praesertim doloris sensum ostendit, lochia quoque valde sunt imminuta; paululum tamen eorum adhuc effluxit. Mammas conspeximus laxas, e quibus vix lac exprimi potuit; sicca fuit cutis, aspera et calidissima, pulsus frequentissimus, parvus et tensus, lingua sicca. Questa est aegrota de pressu in scrobiculo cordis et anxietate magna. Viginti hirudines medicinales in abdomen sunt applicatae, quae primo non solum sanguinis copiam exsuxerunt, sed etiam postera hae-

morrhoea multum abstulerunt sanguinis. Ad emulsionem propinatam die xix. Februarii unciam olei amygdalarum addidimus, ac vicissim cum ea grani dimidiam partem hydrargyri muriatici mitis cum grano extracti hyoscyami in pulveribus exhibuimus. Injectiones sunt continuatae, mammasque infanti saepius porrexit aegrota. Vespertina hora sexta bilem aegrota vomuit, quo facto levamenti aliquid sensit, et quieti magis se commisit. Liquida adhuc alvi solutio evenit, et abdomen magnam aliqua ex parte amisit tensionem et doloris sensum.

Die xxii. Februarii. Dolor et febris hac nocte ita moderate sese habuerunt, ut aegrota multum dormiret; mane autem abdomen iterum tensum est, et dolor ab umbilico ad genitales pertinuit partes. Iterum accidit liquida alvi solutio, cutis vero assidue sicca fuit, sitis maxima pulsusque frequens, parvus et parum tensus. Usitata huc usque medicamenta sunt continuata, et oleo hyoscyami cum unguento hydrargyri cinereo abdomen illini jussimus. Post meridiem iterum propensam ad vomitum aegram invenimus, et semel ipse vomitus eam invasit, quam ob rem et emulsionis et pulverum dimidio minorem dosin propinavimus. Vesperi pulveres extracto hyoscyami et gummi mimosae paratos exhibuimus.

Die xxiii. Februarii. Elapsa nocte saepius aegrota dormivit, interdum vero quoque deliravit. Sitis vehemens hactenus quidem fuit, sed pulsus plenior et minus frequens abdominisque tensi dolor minor. Ad vomitionem propensio adhuc perduravit, quamvis ipse vomitus non invaderet; cutis prorsus et semper fuit sicca. Praeter pulveres emulsionem etiam nunc ope aquae cerasorum nigrorum ex amygdalis paratam continuavimus.

Post meridiem aegrota multum perturbationis ostendit, abdomen inflatum et magnopere tensum, pulsum frequentissimum, parvum et inaequalem, cutem asperam et siccam, faciem sordide flavam atque in superiori genarum parte loca certa obscure rubra ardentia. Hirudinibus adhuc quindecim medicinalibus in abdomen tensum impositis et sinapismis ad suras applicatis, ad usum internum decoctionem radicis Althaeae cum infusione radicis Ipecacuanhae et extracto Belladonnae dedimus, vicissim autem cum ea pulveres hydrargyri muriatici mitis et camphorae sunt exhibiti.

Die xxiv. Februarii. Nocte elapsa quietem lenem experta est, aegrota hodie mane hora septima sese meliorem habere putavit. Abdomen ejusdem ambitus, quam heri, non multum doloris tactum sensit, pulsus minimus, frequentissimus vix sentiri potuit, facies est collapsa, cutis

magis gelida, quam calida, fuit et sicca, lingua sordes virides superficie monstravit. Pulveres hydrargyro muriatico miti, digitali et camphora paratos exhibuimus, ac abdomen unguento irritanti cum tinctura cantharidum illini jussimus. Exsudationis stadium manifeste incepit. Post meridiem morbi conditio pejor fuit. Aegrota vix loqui, et pulsus vix sentiri potuit, abdomen tensum, si tactum est, aegre accepit dolorem, manus et pedes frigus occupavit. Duarum olei terebinthinae drachmarum melle despumato mixtione conjunctarum omni horae dimidio cochlear parvum (theae potui inserviens) est exhibitum, vicissim autem cum eo pulveres moscho orientali et camphora paratos propinavimus. Totam abdominis superficiem teximus emplastro cantharidum magno. Vespera morbi conditionem desperatam auxit; surditatem, vocis maximam difficultatem et perturbationem, sudores faciei frigidos viscidos, oculorum conversionem et ejusmodi alia conspeximus, horaque vesperae septima aegrota placide et sine ceteris affectionibus vitam cum morte commutavit.

Cadaveris inquisitio. Die xxv. Februarii hora post meridiem tertia mortuum corpus apertum est. Patefacto abdominis cavo, totum peritonaeum inflammatione, sicut pleraque abdominis intestina, laboravisse, reperimus.

Totum inprimis intestinorum tractum omni ejus longitudine tenus inflammationis signa occupaverunt; mirum autem fuit, in externo praecipue intestinorum pariete inflammationem sedem habuisse. Ovaria parum inflammata, uterum vero parvum, qui clausus externe nullam morbi speciem prae se tulit, apertum cervice gangraena affectum animadvertimus. Fundus uteri anteriori magis parte locum ostendit, cui adhaeserat placenta, praeter nonnullas minimas placentae reliquias quaedam concreta ossea fabae magnitudine hoc loco conspeximus, quae adhaesionem contra regulam effecerunt. Hepar quodammodo pallidum fuit et tenax, ac vesica fellea maxime extensa plus quam centum continuit bilis calculos, quorum unus fuit magnitudine nucis juglandis mediocris, ceteri autem pisum vel magnitudine non superarunt, vel minores ei magnitudine cesserunt. Abdomen duodecim circiter libras humoris exsudati continuit, ac inter intestina crebri flocci humoris flavi puriformis reperti sunt, ne quidquam vero abscessus signum invenimus. Sejuncta parva humoris exsudati copia et, ut inquireretur, vase quodam recepta, casu intestinum est laesum, atque mixtione exsudati et faecium statim exorta, quod restitit humoris exsudati ad chemicam inquisitionem inutile reddi-

tum. Aperto capite, cerebro nihil vitii, sed humoris aquae haud dissimilis quidquam inesse, reperimus.

Chemica humoris exsudati inquisitio. Humor exceptus, qui duodecim circiter uncias pondere aequavit, vase vitreo probe clauso ac temperie frigida conservatus est. Coloris fuit rubri flavo conjuncti, odoris vehementissimi animalis, haud vero cadaverosi, ac sedimentum flavum deposuit.

Die XXVI. Februarii humor in acidi et kali qualitatem inquisitus est. Neque chartam exploratoriam coeruleam, neque luteam mutavit, ac aliud quoque explorandi genus in neutram partem eum movit.

Chemica disquisitio hasce reddidit rationes.

I. Humoris valde conquassati unciae sex in filtrum sunt injectae, ut omnis liquor a spissiori massa (magmate) separetur. Liquor colatus in neutram partem motus colore fuit flavescenti et olei spissitudine. In quindecim diversa vitrea vasa, a. b. c. d. e. f. g. h. i. l. m. n. o. p. q. singulatim inscripta, est distributus.

Eo, quod *a* continuit, *alcohol gradum XCI* conjunctum extemplo turbidum reddidit liquorem; colorem liquor dein ostendit album ac XXIV. horis interjectis, copiosum sedimentum album fibrosum;

eo, quod *b* continuit, *acetum concentratum* conjunctum est; parcam inde exortam albescentem turbationem addita aqua destillata frigida auximus, quo facto XXIV. horis elapsis massam spissam conspeximus;

eo, quod *c* continuit, *acidum muriaticum* conjunctum turbationem tantum lacteam effecit;

eo, quod *d* continuit, *acidum sulphuricum* conjunctum est; exortae primum turbationis nebulae addito acido abundanti haud sunt auctae;

eo, quod *e* continuit, *liquor ammonii caustici* conjunctus est; nulla evenit turbatio, sed color clarior, abundanter addito ammonio neque turbatio neque sedimentum;

eo, quod *f* continuit, *argentum sulphuricum* est conjunctum; color inde evasit ruber ad fuscum vergens;

eo, quod *g* continuit, *baryta muriatica* est conjuncta; humor aquae similem colorem accepit;

eo, quod *h* continuit, *baryta caustica* est conjuncta; idem evenit;

eo, quod *i* continuit, *ferrum oxydatum muriaticum* est conjunctum; sedimentum est depositum copiosum coloris cinerei flavo immixti;

eo, quod *l* continuit, *hydragyrum muriaticum corrosivum* est conjunctum; statim in fundo consedit massa alba haud densa;

eo, quod *m* continuit, *hydargyrum nitricum oxydatum* conjunctum est; extemplo turbatio lactea in conspectum venit, et XXIV. horis interpositis sedimentum haud spissum coloris coerulei ad cinereum vergentis;

eo, quod *n* continuit, conjunctum est *natrum carbonicum neutrale;* nulla turbatio, sed color clarior evasit;

eo, quod *o* continuit, *plumbum aceticum neutrale* est conjunctum; effecit album haud spissum massae quasi caseo similis sedimentum;

eo, quod *p* continuit, est conjunctum *stannum oxydatum muriaticum;* inde exorta turbatio colore cinereo fere albo praedita absque sedimento micavit:

eo, quod *q* continuit, *tinctura gallarum aquosa* est conjuncta; cinerei coloris copiosum edidit sedimentum.

Quae mixtiones singulae plures dies in vasibus vitreis restiterunt; nullae autem, praeter dictas, mutationes amplius sunt factae.

II. Pars aliqua humoris exsudati, antea sejuncta massa illa spissiori (magmate), donec salium appareret cuticula in superficie, est leniter cocta seu evaporata ac seposita, ut sales se segregarent. Cum vero post XXIV. horas minimae tantum crystalli et vix conspiciendae sejunctae essent, tota illa pars ad siccitatem est evaporata, aquae destillatae ope

rursus soluta, ac in tria, quae *α. β. γ.* inscripsimus, vitra distributa.

Quod inscriptum est *α* admixto *argento nitrico* statim massam albam gravem deorsum deposuit;

quod inscriptum est *β calcaria muriatica* admixta sedimentum edidit album haud densum;

quod inscriptum est *γ* humore omnino destitutum in carbonem redactum est ope platinae cochlearis. Cum vaporibus privaretur, odorem dispersit melli haud dissimilem. Carbo tenerrimus et facile conterendus per XXIV. horas aqua destillata est conjunctus; humor deinde colatus admixto *acido tartarico*, transactis XXIV. horis, exiguas ostendit *kali tartarici* crystallos. Liquor ejus, quod *α* et *β* est inscriptum, clarior redditus eodem modo admixto acido tartarico conspicuas tartari (kali tartarici) crystallos monstravit.

III. *Massae spissioris (magmatis) inquisitio.* (cf. I.)

Massa spissior (magma) in tres divisa est partes A. B. C. inscriptas.

A inscriptum parte duplici *liquoris kali caustici* infusum post XXIV. horas solutionem ostendit fusci fere rubri coloris, quam in sex vitra distribuimus, vasaque singula 1. 2. 3. 4. 5. 6. inscripsimus.

Quod signatum est 1), mixtum *aquae destillatae* partibus duabus turbari se non sivit, ne praeteritis quidem XXIV horis, sed exiguum sedimentum deposuit;

quod signatum est 2), mixtum *acido nitrico concentrato* spissiorem reddidit massam totam, depromto quoque gas nitroso; post XXIV horas sedimentum album ortum conspeximus;

quod signatum est 3), mixtum *acido muriatico concentrato* sedimentum effecit haud spissum, sparso simul allii odore;

quod signatum est 4), mixtum *acido sulphurico concentrato* minimum coloris albi genuit sedimentum;

quod signatum est 5), mixtum *acido acetico concentrato* sedimentum deposuit coloris viridis fere albi, dum liquor super natans turbidus mansit;

quod signatum est 6), mixtione *kali sulphurici alcohol ope soluti* statim turbatum viridis ad flavum vergentis coloris sedimentum effecit, emerso simul odore saponi simili.

B inscriptum in tres partes est divisum aa), bb), cc) signatas.

Quod notatum est *aa*), infusum *acido muriatico* pluresque dies ad digestionem sepositum ac deinde calefactum est, ejus liquore filtri ope sejuncto; hic liquor conjunctus *liquore kali caustici* statim turbidus evasit, ac sedimentum dein deposuit;

quod notatum est *bb*), conjuncto *acido nitrico* calefecimus; liquore ejus colato et solutione *kali caustici* admixta, turbationem et parum sedimenti animadvertimus;

quod notatum est *cc*), conjuncto *acido sulphurico* calefecimus; liquor solutione *kali caustici* tractatus sedimentum coloris cinerei fere albi edidit.

C inscriptum conjunctum *oleo terebinthinae* et, donec coqueretur, calefactum mutari vidimus in massam cinerei coloris glomerulis similem.

IV. Quatuor humoris exsudati haud colati unciae destillationi sunt commissae. Destillationis initio tota massa turbata, ac aucto calore coagulum magnum animadverti potuit; cujus superficies liquorem oleo similem ostendit. Destillatam pondere duas aequavit uncias kali qualitate praeditum, et odorem pepulit empyreumaticum ammoniacalem. Destillati iterum destillationi commissi sextam partem destillatione excepimus. Haecce novo destillato instituimus experimenta:

I. *Ferrum sulphuricum* in eo deposuit sedimentum coeruleum fere viridis coloris addito acido muriatico destitutum colore;

II. Liquoris calefacti vapores aliquot per tubulum vitreum in solutionem *hydrargyri nitrici* sunt deducti, quo facto statim sedimentum nigrescens ortum vidimus;

III. *Acidum aceticum* in eo nebulam cinerei coloris genuit.

V. *Coaguli disquisitio, quod in retorta restitit.*

Haecce massa in duas partes I. et II. inscriptas divisa est.

Partem primam (I.) alcohol graduum xcv. conjunctam saepius conquassavimus. Elapsis xxxvi. horis liquorem colatum acido nitrico immiscuimus; turbatio primum animadverti potuit, post xii. horas ortum sedimentum haud spissum mucosum coloris rubicundi.

Pars altera (II.) vase fusorio in carbonem est redacta. Ardenti carbone dispersus est vapor foetidissimus empyreumaticus ammoniacalis, ei haud dissimilis, qui tosta spongia marina depromitur. Hic carbo per xxxvi. horas acido muriatico ita conjunctus, ut massa saepius agitaretur, aqua destillata mixtus est. Colato dein liquore ac ammonio caustico conjuncto, sedimentum ita factum iterum acido muriatico solutum liquori ammonii caustici mixtum est, ita quidem, ut acidi aliquid adhuc praevaleret. Quae mixtio deinde hydrocyanico conjuncta statim coeruleum deposuit sedimentum, addito acido muriatico haud mutatum.

VI. Tertium aliquam partem humoris exsudati haud colati leni calore aquae partibus destituimus; glutini restitit massa, quae triplo aquae destillatae pondere plures dies est conjuncta. Liquore dein per filtrum colato, tractatum est modo ad signum II. jam relato. Eadem inde ratio est reddita.

Ex omnibus hisce experimentis colligi potest, humorem exsudatum his chemicis (dicam) partibus constitisse: albumine, gelatina, muco et materia fibrosa, kali galactico, phosphorico et muriatico, ferri denique exigua parte.

Sed redeamus ad solemnia, quibus haec dicata est dies, ad inaugurandum et praeclaro munere ornandum novum Academiae Prorectorem. Abiturus enim magistratu per annum jam mihi mandato, et res Academiae nostrae secundas et, quas ea hoc anno accepit, calamitates paucis adhuc recordabor.

Clementia augustissimi et potentissimi Principis Electoris, cujus vita in salutem Academiae nostrae ad ultimos aetatis fines conservetur et prorogetur, erga Academiam eo praecipue fuit conspicua, quod *augustissimus Princeps* festos post tria saecula dies academicos die XXVIII. m. Julii, *Ipsius* natali, et sequente XXIX. m. Julii hujus anni celebrari jusserat. Quam ob rem augustissimus et clementissimus Elector non solum legatum, celsissimae personae vicarium, virum illustrissimum et generosissimum *de Porbeck*, summi provocationum tribunalis hassiaci praesidem, ut solemnibus interesset, miserat, sed per virum illustrissimum his quoque munificentissimae gratiae donis academiam ornavit:

Virum summe venerandum, Theologiae Doctorem et Professorem publicum ordinarium Academiaeque Primarium Albertum Jacobum *Arnoldi*, qui jam per quinquaginta annos

docuerat, ordinis aurei leonis decurionem secundae classis nominavit, Virum magnificum et perillustrem Academiae Procancellarium, juris utriusque Doctorem et Professorem publicum ordinarium Carolum Fridericum *Robert*, eodem honoris gradu decoravit, equites vero ejusdem ordinis Juris utriusque Doctorem et Professorem publicum ordinarium Eduardum *Platner*, Medicinae Doctorem et Professorem publicum ordinarium Ernestum Dan. *Bartels*, ac Theologiae et Philosophiae Doctorem et Professorem publicum ordinarium Carolum Guilielmum *Justi* creavit. Medicinae quoque Doctorem et Professorem publicum ordinarium Christ. Henr. *Buenger* ab aulae esse consiliis, decrevit. Annuo denique salarii augmento donatus est, qui munus Prorectoris hoc anno sustinuit.

Factum est, ut hoc anno sibi adscriberet jureconsultorum ordo Doctorem Joannem Guilielmum *Bickell*, Philosophorum ordo Doctorem Carolum Fridericum *Vollgraff* et Doctorem Arminium *Hupfeld*, salario majori huic tributo, qui omnes antea extra ordinem docuerant. Qui secundo loco bibliothecae praefuerat, Professor publicus ordinarius Philosophiae Doctor Fridericus *Rehm* in primi locum, quem antea Joannes Melchior *Hartmann*, jam quidem defunctus, obtinuerat, salario aucto suffectus est.

Privatim docentium numero hoc anno additos vidimus in ordine medicorum Doctorem Georgium Conradum Fridericum *Rothamel* ab auxiliis medicis in clinico

medico, in ordine philosophorum Josephum *Hoffa*, Philosophiae Doctorem.

Loco magistri Artis equitandi meritissimi Nicol. *Schwertzell*, qui provectus senectute cum stipendio annuo a muneris functionibus fuit liberatus, denominatus est Georgius *Wolff*.

Civium academicorum numerus hoc anno paululum detrimenti accepit.

Dolenda admodum fuit jactura, quam Academia nostra fecit morte collegae meritissimi Joannis Melchioris *Hartmann*, Theologiae et Philosophiae Doctoris et Professoris linguarum orientalium publici ordinarii, qui bibliothecae academiae primo loco praefuerat.

Sit tibi terra levis! Molliter ossa cubent.!

Senectute quoque confecti obierunt academicus pharmacopola *Imstock* et Musices Magister *Byrnheyd*, ac funus lugemus immaturum civis academici, Petri Joannis Jacobi *Wuestner*, Frideslariensis.

Quod reliquum est actui solemni inaugurationis novi Prorectoris, ut interesse velint magnificus et perillustris Procancellarius, Professores et Doctores venerandi, consultissimi, experientissimi, excellentissimi, Cives Academiae generosissimi et praenobilissimi, nec minus Academiae bonarumque artium fautores et cultores omnium ordinum honoratissimi, observantissime ac humanissime oro rogoque.

Dabam Marburgi die IX. m. Septembris MDCCCXXVII.